DE ANGINA MEMBRANACEA CROUP DICTA SPECIMEN QUOD DOCTOR IN...

Cantianus Ferro

DE

ANGINA MEMBRANACEA
CROUP DICTA

SPECIMEN

QUOD DOCTOR IN CHIRURGIA

FERRO CANTIANUS

FOROJULIENSIS DE REMANZACCO

AD LAUREAM MEDICAM

RITE OBTINENDAM LEGEBAT

PATAVII

TYPIS CRESCINIANIS

MDCCCXXVII

Morbus ille a Medicis plurimis nominibus insignitur. Alii itaque hanc aegritudinem Anginam Membranaceam, alii Polyposam, alii Cynanche stridulam, suffocativam, et tandem apud Anglos scriptores Croup nominatur. Apud nos primus inter Medicos qui de hoc morbo locuti sunt, Bonnet fuit, postes Tulpius. Ineunte vero seculo XVIII epidemice penes Gallos morbus grassabatur, et Here Medicus Anglus ipsam anginam epidemicam in Anglia observavit; in Germania Michaelius de hoc morbo locutus est.

Veteres Medici hunc morbum non agnoverunt, aut sub alio nomine saltem designarunt; hinc pro Cynanche acuta atque inflammatoria aut suffocativa habuerunt. Verum enim vero Boerhaavius de hoc morbo loquens, grafice hanc anginam significare videtur cum ait: " Vox subtilis, clangosa, sibilans, in-„spiratio acute dolens, respiratio parva, frequens, „erecta cum summo molimine; hinc circulatio san-„guinis per pulmones difficilis, excreatio viscida per „fauces, pulsus mira vacillans, angustiae summae, „ cita mors „.

In angina vero de qua loquimur, et quae praecipue in pueris frequens est, morbus initium ducit a quadam rheumatica affectione, cum virium prostratione, faucium ardore, genarum rubore, somnolentia, siti, et postea febri acuta, vespertina, remittenti, aliquando catarrhali, cum tussi ut plurimum molesta; lingua pueri aegrotantis crustam albam praesefert. Increscente morbo ad tracheae sedem dolor insurgit, non acutus nimis, sed permanens, cum tumore aliquo partium: deglutitio tamen non impeditur: post haec aucto jam morbo propriam formam ostendit, respiratio lenta fit ac difficilis, vox mutatur, et stridula clangosa evadit, quae adaugetur quando tussis magis magisque aegrum invadit. Quod autem peculiare morbosum symptoma dici potest in hoc morbo propter tussim, excreatio est cum vomitu cujusdam inorganicae membranae admodum tenacis, ut membranacea materies una cum multa puriformi conjungatur. Haec membrana quandam substantiam organizzatam referre, et speciem membranarum internarum, quas saepe vidimus intra pulmones et pleuram inflammationis gratia inhaerere, videtur; haec membrana natura sua coagulabilis est, diversum colorem saepe praesefert, attamen albicantem, sanguineisque vasculis ditatam; aliquando haec membrana usque ad pulmones descendit, ad bron-

chia, illarumque partium quodammodo figuram te-
net.

Initio morbi urina aquosa et fere limpida apparet, insuper fit crassa, turbida, atque sedimentum album mucosum deponit; secretiones alvi multum tenaces sunt, et venter tumescit. In quibusdam aegrotantibus aedemata ad manus et pedes superveniunt. Cravescente morbo inspirationis angustiae magis magisque de die in diem ita augentur, ut pueri in inspiratione peragenda suffocari videantur, lingua et fauces arescunt, pulsus debilitantur, fiunt lenti, intermittentes, irregulares, oculi caligant et intus trahuntur, sudor frigidus supervenit aegrotanti in extremitatibus praesertim, mors lente quandoque, et aliquando etiam de repente puerum luce privat.

Aetas infantilis ab anno tertio usque ad octavum frequentius in hunc morbum incurrit; attamen clar. Cullen puerum annorum quindecim ab hac aegritudine correptum vidit, et in scriptis clarissimi Lentin, Ghisi, Thilenii casus inveniuntur hominum adultorum qui hoc morbo revera laborarunt. Persaepe morbus hicce epidemicus est, et si fidem praestare velimus Viris in arte medica peritissimis Rield, Wichmann, aliisque, contagiosus est.

Haec anginae species omni anni tempestata gras-

sari potest, sed crebrius temporibus anni plerumque intempestivis, maxime humidis: raro autem aestate, et temporibus ad siccitatem vergentibus. Lentin putat, hunc morbum in aliquibus regionibus magis extensum esse ea de causa, quod pueri collum et pectus nudum ferunt, quae corporis partes praecipue huic morbo subjiciuntur, et revera in frigidioribus regionibus et praesertim nordicis, in quibus pueri vestibus undequaque teguntur, hic morbus aut ignotus est, aut rarissime observatus

In autopsia cadaverum puerorum qui ex hoc morbo perierunt, haec observata fuerunt: habitum suffocativum, aut strangulatorum praesefert. Oculi prominentes sunt, venae capitis et colli mirum in modum turgidae, et facies tota colore rubro violaceo perfusa est; in oris cavitate signa manifestae inflammationis reperiuntur, epiglotis plurimum tumida est, ventriculi laryngis crasso quodam et denso humore repleti sunt, glandulae quoque tracheales tumidae et durae sistunt, parietes asperae arteriae a quadam mucosa membrana operiuntur, quae totam tracheae ipsius cavitatem implet. Pulmones saepe utique normales, aliquando autem sanguine crasso, et nigro colore praedito scatent, et etiam ventriculi cordis aliquando polyposis sanguineisque concretionibus repleti sunt.

Angina croup de qua loquimur, ab angina maligna differt, primo quia ab ore aegrotantis odor emanat admodum foetidus et fere cadavericus, qui in croup anginoso non adest. In maligna vox rauca evadit; in altera stridula est, et sonum galli gallinacei refert evidentissimum. In maligna tonsillae non solum inflammatae apparent, verum etiam crusta quadam obscura notatae, quae tandem concidit cessante morbo; quod in croup non perspicitur. In angina maligna humor lymphaticus non coagulatur, sed potius ad solutionem vergit; in croup vero lympha semper valde coagulatur: in primo tandem anginoso malignanti genera nec per tussim, neque per vomitum aliqua excretio subsequitur, cum in croup mucosus et membranaceus humor a trachea praesertim morbose separatur.

Croup anginosus est morbus gravissimus, et pueris fere semper lethalis, etiamsi ab initio aegritudo non admodum gravis apparet, tamen pertimescenda plurimum est. Morbus hic in pueris tenellis gravior evadit et saepe inter paucos dies illos conficit. Urinae copiosae ac crassae atque jumentosae, criticae esse solent; sudores etiam profusi juvare possunt: ingravescente morbo respiratio fit summopere difficilis et quoque suffocativa; aliquando morbus minui videtur, et interea aeger quasi da repente mori-

tur: subeunt sudores algidi, lypotimiae, extremitates frigescunt, et puer ad necem properat.

Habita ratione aetatis et virium, sanguinis emissiones instituendae sunt: hirudines vero, docente Cel. Lentin ad regionem colli, et circa laryngem sunt applicandae pluries ac multae, donec respiratio aliquantum leniatur. Ipso tempore pediluvia calidiuscula ad aegrotantis pedes instituenda sunt. Hisce praemissis ad clysmata emollientia confugiendum est; epispastica quoque ad brachia, ad suras conveniunt, et late praesertim ad occipitis regionem. Medici Americani docente Ill. Michaelio in hoc morbo tractando emissiones sanguinis usque ad animi deliquium instituebant; saepe saepius haec medendi methodus salutaris fuit iis praesertim in casibus, in quibus plethora nimia existat, et vara atque acuta partium inflammatio: sed si morbus non vere athenicus sit, sed potius asthenicus, sanguinis emissiones copiosae nimium minime conveniant: et revera peritissimi Medici qui de hoc morbo tractarunt, videlicet Pinel, de Harles, Pearson, aliique talem medendi methodum non admittunt. Lentin sternutatoriis utebatur eo in casu, in quo morbosa illa membranacea materies expelli sponte incipiebat.

Quoad interna remedia, emetica primum locum tenent. Medici Americani et nostrates etiam emeti-

eorum usu in curanda hac aegritudine felicem exitum obtinuerunt. Calomelanus itaque Riverii inter alias mercuriales praeparationes a Medicis Americanis adhibitus est, et summopere laudatur. Bard triginta grana calomelani et ultra in curanda croup feliciter adhibuit. Thilenius mercurium saccharatum ad dosim granorum trium per ternas quotidie vices exhibebat, atque externe hydrargyrosim instituebat, summo cum aegrotantis levamine. Verumtamen si adhuc in partibus morbose affectis a croup manifesta inflammatio existat, caute admodum emetica sunt exhibenda, et ipse clarus Lentin emetica nisi extincta partium inflammatione, expulsaque maxima ex parte mucosa et membranosa illa materie, quae praecipue morbum constituit, non adhibebat.

Si omnia quae huc usque tulimus, ad croup curandum non valent, sola trachaotomia tentanda remanet, quae tamen incerta et potius damnosa a peritis medicis declaratur, et Necker perillustris hanc operationem semper frustraneam et lethalem fuisse confirmat.

THESES DEFENDENDÆ

I

Croup morbus est infantibus familiaris in aliquibus regionibus, atque etiam epidemicus in quibusdam anni tempestatibus.

II

Croup morbus est valde pertimescendus, et pueris semper lethalis intra paucos dies, et veram suffocationem infert aegrotantibus.

III

Croup ab omnibus aliis morbis anginosis Medicis notis differt, et raro adultos ac vetulos adoritur; pueri a tertio usque ad octavum aetatis annum hoc morbo afflictari solent.

IV

Mercurialia externe adhibita, videlicet mercuriales inunctiones ad collum, ad laryngis regionem institutae opportuno tempore plurimum juvare solent.

V

Calomelanus Riverii, aliaque praeparata mercurialia, sed leviora, quasi specificum remedium a Medicis in curando croup habetur.

VI

Mercurialia tamen, declinante morbo, sunt adhibenda, cum jam manifesta partium inflammatio cessaverit.